

1287

I C O D I C E S

1288

*Rer. Mogunt. Nic. Serarii in Collect. G. Chr. Joannis T. I. P. 2. p. 707. lego: Irrepsit Moguntiam hisce temporibus (sub Conrado II. electo 1388) Waldensium haeresis, adeo ut ea infames XXXVI. ciues Bingam abducti et ibidem igne plexi sint.*

XXXVI. fol. 289. *Traclatus de periculis Ecclesie*, addidit aliam manus, *compilatus per Vniuersitatem parisiensem*. Est vero *Guilhelmi a S. Amore Codd.* etiam *DXLIII.* et seqq. repraesentatus, incipiens: *Ecce videntes clamabant foris Angeli pacis amare flebant &c.* et alias inscriptus *de Periculis novissimorum temporum*. Ultimus hic paragraphus *C. XIV.* qui infit: *Si autem cetera praedictorum &c.* deest.

CCCXXX.

801 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 118. 8. eleganter exaratus, et rubricis distinctus hunc Titulum praefert: *De Prescientia dei et Predestinatione. Caput Primum Prime Libri Partis.* Initium: *Cum omnium quae operatur trinitas prescientia eius dispositio et uoluntas actum precedat. oritur inuestigatio de prescientia dei. de prouidentia. et predestinatione. de uoluntate dei et potestate &c.* Opus ad causam *Godescalchianam* pertinens in manus tibi venisse putes. Verum insuntis in praedictum argumentum *Capitibus III. Caput IV.* ita orditur: *Nunc de illa parte fidei est agendum. quae ad sacramentum incarna-*

*tionis pertinet. &c.* Ita *V. de libero Arbitrio, VI. de tribus Virtutibus, quibus domus dei constructur, VII. de Timore Dei, VIII. de Baptismo &c.* tractat, ut adeo *Συμμικτα* potius *Dogmatico* — *Ascetica* tradat *Autor ἀνωρυμος*, quam *Opus* aliquod partibus inter se nexis constans. *Pars* eius *I.* censet *Capita XXX.* quorum ultimum exponit locum *Pauli I. Cor. 13.* de *Caritate. Pars II. Capitum* totidem incipit: *De his qui edificant super fundamentum quod est Christus &c.* *Pars III. Capitum XXIV.* orditur de *tribus Silentiiis* in illud *Sap. 18. Cum medium silentium tenerent omnia, et exit in prolixum Augustini super Genesim* locum, qui terminatur: *in ara cordis. igne feruide karitatis.* *Autor*, ut videtur, *Monachus* sua numeris amat includere; ita identidem legas: *Tria sunt, quae &c. Quatuor sunt, in quibus &c. Septem sunt, quorum &c.*

CCCXXXI.

Codex membraneus lat. Sec. 410 XIII. Folior. 73. 4. commode perscriptus *Libros IV. An. Manl. Sev. Boethii Scriptoris Sec. VI. de Trinitate* cum *Commentario* ita continet, ut *columna interior angusta Textum, exterior lata Expositionem* repraesentet. Est vero *Expositio* haec, quod quidem *Codex* tacet, *Gilberti*, non *Abbatis Ursicampi O. Cist.* ut e *Jac. Phil. Bergomensis Supplem. Chronic.* refert *Vischius* in *Bibl. Cist.*

*Cist.* p. 128. sed celeberrimi illius *Porretani*, unius e quatuor *Galliae Labyrinthis*, qui a. 1154. Episcopus *Pictaviensis* decessit. Edidit illam praevio textu *Adamus Petri* J. V. D. ex officina Patris sui *Henrici Basil.* 1570. cum reliquis *Boethii* Operibus f. verum ita, ut non parum e *Cod.* nostro perfici possit. Liber I. *Quomodo Trinitas est unus Deus, et non tres Dii* incipit a Prologo: *Inuestigatam diutissime Questionem, quantum nostrae mentis igniculum &c.* Ipsi *Tractationis* initium: *Christiane Religionis reuerentiam plures usurpant &c.* Praeit ista *Gilberti* Prooemium ἀνεπίτητος: *Libros questionum anicii, quos exhortationibus precibusque multorum suscepimus explanandos &c.* decurritque cum *Editis* usque ad ea verba: *ne aliquo sensu ab authenticis sanctarum diuinationum scriptoribus recedamus.* Atque heic prolixum locum *Basileenses* non habuere, quem subplebo. Quamuis nos ab eis dissentire garriant quidam temporum nostrorum *fennii* atque *paconii* qui cum nihil didicerint opinione sua nesciunt nichil. homines sine ratione philosophi. sine uisione prophete. preceptores impossibilium. iudices occultorum quorum mores plurimis notos describere. nil nostra interest. Ipsi uero tanquam excusati propriis aliena negotia curant et obliti sarcinas suorum scelerum uel facinorum. de ceteris animi ingenio et uite honestate preclaris multarum personarum fingunt comedias qui etiam in deum blasphemias

*mi illos de ipso profitentur errores quorum nomina dissententur. Nam ut ita dicatur Heretico catholici in sabellii. donati. pelagii et aliorum huiusmodi pestilentium uerba iurati. horum nomina eo quod edictis publicis dampnata noscuntur. cum catholicis detestantur ut cum blasphemiarum sint iuste dampnabiles. blasphemorum detestatione putentur indempnes. Sed quia non tam res nominibus quam nomina rebus accommodat impositio. quibuscunque res conueniunt nomina non conuenire non possunt. Quoniam ergo uere sunt recte uocantur sabelliani. donatiste. pelagiani et huiusmodi et bene quia noui heretici nihil asserunt noui ut ad improbandum adinventiones nouas nouis sit laborandum inuentis. Antiqua sunt dogmata olim preclari et exercitati ingenii uiros (uiris?) euidetissimis atque necessariis rationibus improbata quibus eadem his nouissimis rediuiua temporibus possunt refellere quicumque recte intelligentes uirorum illorum scriptis lectitandis inuigilant. Sed qui neque legunt neque lecturiunt ideoque scientiarum elementa siquidem prioribus annis attendere consueuerant post longa desuetudine descuerunt aut etiam corruptis artibus a uia ueritatis exorbitauerunt has omnino rationes ignorant Quorum si forte aliqui humano errore aut potestate aliqua — — aut preeminente dignitate precipiunt ut uerum falsum et falsum uerum itemque bonum malum et malum bonum esse credatur et quod impudentissimum est ad sui magnificentiam*

tiam quoslibet infames magnificent et magnificos infamant. Sed quia non tam cognitores quam cogniti resident. sepe contingit ut rerum consequentibus cancellatis cuiuspiam bone fame aliquit illorum fauor detrabat et uituperatio addat. Quod nimirum adtendentes illorum maledicta de nostris moribus et precepta de rebus contempnimus. Nam neque mores nostros conuictu neque rerum proprietates disciplina nouerunt. Post haec, quae in Adversarios suos, antequam ad Eugenium III. et Concilium Rheimense traheretur, scripsisse videtur Gilbertus, Codex cum Edit. incidit.

II. fol. 26. Liber II. ad Johannem Diac. *Utrum Pater et Filius ac Spiritus sanctus de Diuinitate substantialiter praedicentur.* Initium Textus: *Quero an pater et filius et spiritus sanctus de diuinitate &c.* Commentarii: *Ex illius questionis qua simacho boecius scripserat inuestigacione &c.*

III. fol. 29. p. 2. Liber III. ad Eundem. *An omne, quod est, bonum sit.* Initium Textus: *Postulas ut ex ebdomadibus nostris eius quoque questionis obscuritatem &c.* Commentarii: *Quod grece philosophia. latine amor sapientie dicitur &c.*

IV. fol. 41. Liber IV. ad Eundem. *De duabus Naturis et una persona Christi. Adversus Eutychem et Nestorium.* Initium Textus: *Anxie te quidem diuque sustinui &c.* Commentarii: *Non sum nescius Oratores ingeniis acutos &c.* Finis totius Operis: at-

que omnium bonorum causa perscribit. Commentarii: *incommutabili proposito sue uoluntatis perscribit.* Praeter superius adducta Codex noster non spernendas tam Textus quam Expositionis lectiones offert. Ita in Prologo L. I. *Quod raris id est vobis tantum colloquor, pro vobiscum colloquor.* In Gilberti Prooemio L. II. *quarundam proportionibus rationum pro propositionibus.* In initio Textus L. IV. *si situm sedentium recorderis pro si tum sedentium &c.* In Gilberti Prooemio: *contra nestorium episcopum et euticen archimandriten, ubi Edita omittunt Eutychem &c.* Ceterum haec facta Boethii Opuscula sine acutissimi Gilberti Commentario etiam alias indicavimus.

## CCCXXXII.

Codex chartaceus lat. Sec. 28 XVI. ineuntis Folior. 40. f. max. rudius picturatus continet *Georgii Benigni Contemplationes Vexilli Christianae Fidei, seu Victoriae, reuera Tractatum de mysterio Trinitatis et Incarnatione Verbi. Fol. 1. pag. auersam implent Insignia Caesarea. Fol. 2. sequitur epistola: Georgius Benignus Artium et Theologie professor ac Presul Calliensis (Cagli in Ducatu Urbinate) observandissimo patri et domino, domino Mattheo (Langio) Episcopo Gurcensi viro in diuinis ac humanis literis erudito &c.* Scribendi Operis caussa: *me mouit maximi Maximiliani Caesaris nostri semper Augusti*